



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SHILLONGENSIS - DIBRUGARHENSIS**

(**TEZPURENSIS**) * DISTRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS A DIOECESIBUS SHILLONGENSI ET
DIBRUGARHENSI IN INDIA, ALIA DIOECESIS CONDITUR

NOMINE «TEZPURENSIS». Fidei catholicae divulgatio incensiusque, quo in dies urgemur, non solum in christifideles, sed in universae terrae etiam homines Evangelica luce adhuc expertes studium, id haud raro requirunt, ut ex latissimis incolarumque frequentissimis dioecesibus aliae condantur ecclesiasticae circumscriptiones. Neminem enim fugit eo magis christianas res florere quo Ecclesiarum rectorum numerus, Episcoporum nempe, amplior fiat. Hanc ideo ob causam, venerabili Fratri Iacobo Roberto Knox, Archiepiscopo titulo Melitenaeo et in India Apostolico Internuntio, qui, post auditos quorum interesset Ordinarios, ab Apostolica Sede petiit ut ex dioecesibus Shillongensi et Dibrugarhensi nova alia fundaretur, concedere libenter censuimus, sequentiaque, de sententia Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, decernere. A dioecesi Shillongensi districtus seiungimus vulgo de Darrang et de Nowgong appellatos, una cum ea parte districtuum de Goalpara et de Kamrup quae est ad septem- trionalem ripam fluminis Brahmaputra sita; item subdivisionem quam dicunt de Kameng ad «North East Frontier Agency» pertinentem, atque demum Statum de Bhutam cognominatum; a dioecesi autem Dibrugarhensi, subdivisiones uti appellant de Subansiri et de Siang pertinentes ad «North East Frontier Agency», itemque partem districtus de Lakhimpur, ad eandem septemtrionalem ripam fluminis Brahmaputra sitam, ex iisque omnibus novam dioecesim constituimus, ex urbe *Tezpurensern* appellandam, iisdemque cingendam finibus ac territoria e quibus fit. Praecipimus insuper ut condita dioecesis, una cum suo Episcopo, suffraganea sit metropolitanae Sedi Calcuttensi; ut sacrorum Antistitis sedes domiciliumque in urbe Tezpur sit, cathedra autem magisterii episcopalnis, in templo, eadem in urbe exstante, quod Deo in honorem Sancti Ioannis Bosco est dicatum; ut consultores dioecesani deligantur ad normam iuris, qui scilicet a munere cessabunt simul ac Canonicorum collegium constituatur; ut Seminarium denique, saltem minus, quam primum struatur, iis pueris accipiendis et efformandis, qui ad sacerdotium Dei instinctu vocentur. Volumus denique ut Tezpurensis cathedralis Ecclesia curis committatur sodalium Societatis S. Francisci Salesii, quos enixe hortamus ut nulli labori parcant ad salutiferam Christi legem suo in territorio prolatandam. Has Nostras Litteras ad effectum adducet venerabilis Frater Iacobus Robertus Knox, quem diximus, vel ab eo delegatus vir, dummodo sit in ecclesiastica dignitate constitutus. Qui vero rem perfecerit, documenta de more exarari iubebit, ad Sacramque Congregationem de Propaganda Fide quam primum mittet. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis,

quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die sexto decimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo quarto, Pontificatus Nostri primo.*

IACOBUS A. Card. COPELLO

S. R. E. Cancellarius

GREGORIUS P. Card. AGAGIANIAN

S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regenslophus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, Protonot. Apost.

Sylvius Romani, Protonot.

Apost.

*A.A.S., vol. LVI (1964), n. 12, pp. 727-729 © Copyright 1964 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana